



# **Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten**

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere  
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen  
Verhältnisse]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1845**

DCCCII. Albert von Wolfstein, Vogt jenseits der Oder, vergleicht das  
Kloster Colbatz mit denen von Wulkow wegen eines Todschlages, am 12.  
Januar 1346.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56193](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56193)

DCCCII. Albert von Wolffstein, Vogt jenseits der Oder, vergleicht das Kloster Colbats mit denen von Wulkow wegen eines Totschlages, am 12. Januar 1346.

Vniuersis et singulis, quorum interest vel interesse poterit quoquo modo, Nos Albertus de Wolffsteyn, aduocatus ultra Oderam Incliti principis domini Lodewici marchionis Brandenburgensis, volumus esse notum, quod anno domini M. CCC. XLVI, feria quinta infra octauas Epiphanie domini, constituti in presentia nostra in opido, quod Nien Berlin dicitur, religiosi viri frater Ludolphus prior et frater Nicolaus cellerarius monasterii Colbacensis ex vna, et Bernardus et Gherardus fratres dicti de Wolkow, nec non Hinricus et Bernardus patruus eorundem cum aliis suis amicis parte ex altera. Vbi prenominati fratres Bernardus et Gerardus de consilio amicorum suorum libere pure et sine omni coactione approbaverunt et ratificauerunt compositionem, dudum inter conuentum dicti monasterii et ipsos super homicidio fratris sui Hinrici dicti de Wolkow bone memorie per plures honestos viros celebratam et in omnibus suis articulis perfecte completam, sicut in literis super hoc confectis lucide comprobatur. Verum quia tamen super modico, videlicet super receptione cuiusdam iuuenis, quem abbas dicti monasterii ad tempus recipere deberet in suum famulum, dissensionis inter eos materia vertebatur; Nos, assumptis ad nos discretis viris consulibus dicti opidi Berlyn aliisque viris prudentibus ac honestis, huiusmodi discordie questionem de pleno et expresso consensu vtriusque partis composuimus in hunc modum, scilicet, quod abbas dicti monasterii pro receptione talis iuuenis et pro equo vel pro alio munere eidem iuueni post expletum seruicium impendendo, prefatis duobus fratribus Bernardo et Gerardo duodecim talenta Stetinensium denariorum dare et persolvere deberet, et quod ipsi renunciare debent omni actioni et iuri, si quod ipsis vel eorum heredibus aut ipsorum amicis presentibus et futuris occasione dicti homicidii contra abbatem vel conuentum dicti monasterii posset competere quoquo modo. Et quia abbas et conuentus dicti monasterii prenarrata duodecim talenta denariorum Stetinensium prenominationis fratribus Bernardo et Gerardo in parata pecunia juxta nostre compositionis modum persoluerunt; Ipsi vice versa promiserunt eisdem in nostra presentia et testium infra scriptorum, super dicto homicidio vel occasione ipsius nullo unquam tempore litem, controversiam vel questionem inferre vel mouere nec inferentibus vel mouere volentibus aliquatenus consentire; Sed ipsos et eorum monasterium in omnibus fideliter promouere. Renunciantes exceptioni doli, rei sic non gelte et non numerate pecunie et omni cuiuslibet juris auxilio, per quod hec compositio per nos facta posset irritari. Datum in dicto opido Berlyn, anno et die quibus supra, presentibus honestis viris Arnolde et Hinrico fratribus dictis de Leuendale militibus, Henningo de Schenyngge, Henrico et Bernardo dictis de Wulkow, Henningo Wrech nec non Johanne Brun-cowe, Johanne Kracswyn et Pribeke, consulibus antedicti opidi Berlyn, qui ad majorem facte et promulgate compositionis euidenciam rogati vna cum sigillo nostro sigillum ejusdem sui opidi Berlyn presentibus literis duxerunt opponendum.